Laudatur Caecitas XVIII.

Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te. melius est enim etc. Matth: 18.

Etsi plerumque caecorum mortalium mentes sensusque hallucinari soleant; dum vel [illegible]; dum externam rerum speciem, neglecta nativa indolis consideratione, tantum intuentur, et solis speciosis nominibus contenti, non penitius rerum naturas contemplantur; ita ut pessima pro optimis, falsa pro veris nonnumquam arripiant. Reperire tamen est Auditores Ornatissimi reperire, inquam, est homines; qui non prius quamlibet rem, aut laudis praemio, aut vituperii notâ dignam existimant; quàm plenè atque perfectè discusserint, et et utroque, ut ita dicam, oculo, verè perspectam ad Lydium lapidem accuratè examinârint, cur ita, et in talem finem destinata atque determinata sit. Sed quemadmodum horum paucissimi, et albis sanè corvis rariores; ita illorum quamplurimi, qui de qualibet re (licèt uno duntaxat oculo aspexerint.) sententiam suam dicunt, effutiuntque, et quod approbandum, ~~autumant~~ hoc refellendum, et quod refutandum, hoc approbandum autumant; quod erat amplificandum, extenuant, augent quod minuendum. Inter quorum numerum meritò recensendos eos existimo, qui caecitatis